

lare eius resurrectionem, ingrediendo corpus, ipsumque regendo et movendo ad modum vivi, quemadmodum simile quid praestat in obsessis.

Respondeo ad primum quod cum prorsus apparet eventum in instanti contingere, adhibito altero principio indirecto supra proposito certa potest esse conclusio de veritate miraculi, aut signi divini, vel secus. Pariter ad secundum respondeo quod alterutro principio indirecto adhibito constare in pluribus adiunctis potest simulationem hanc non habere locum. Praeterea cum spiritus purus non sit naturaliter idoneus ad vitam corporalem, incertum omnino est an eius simulata vita possit habere omnes characteres verae vitae.

Ergo ut sciamus eventum aliquem esse miraculum non est opus nosse omnes vel occultas naturae leges, sed satis est nosse tum quid natura non possit, tum heic et nunc nullas fuisse causas naturales alicuius effectus: quae duo hominibus constare frequenter possunt.

Igitur altera quoque notitia de natura scilicet facti miraculosi obtineri potest.

Non est autem opus pluribus demonstrare quod constare cum certitudine potest in certis adiunctis nullam fraudem hominum aut agentium aut referentium factum intercessisse. Id enim commune est ceteris factis naturalibus ad scientias naturales vel historiam humani generis pertinentibus quorum plurima cum certitudine absque ulla dubitatione fraudis tenemus. Iisdem ergo mediis vel argumentis adhibitis liquere etiam poterit absentia fraudis in huiusmodi eventibus, pro quibus, ut iam alibi animadvertimus (Pn. Th. XII), fraus difficilior est.

DEMONSTRATIO IV. PARTIS. Cum invocato Deo explicite vel implicite ad confirmationem alicuius doctrinae vel actus moralis miraculum fit, habetur testimonium Dei probantis illam aut illum; hoc vero testimonio Deus tum se ipsum speciali modo manifestat, praeter ordinem scilicet naturae, tum manifestat iudicium infallibile de veritate aut honestate rei: iudicio porro infallibili Dei acquiescendum certe est: est enim certissime verum id quod Deus iudicat et docet;

ratio autem naturaliter facta ad veritatem nequit assensum detrectare ei quod se ut certissimum manifestat: ergo.

Adverte ope miraculi non fieri evidentem intrinsecam naturam rei pro qua confirmanda adhibetur, hoc est quod dici solet, non haberi per miraculum evidentiam veritatis rei; sed evidentem fieri miraculo testificationem Dei quae exigit fidem; ideoque fieri per miraculum evidentem credibilitatem rei. Ratio est quia miraculum non est id ex cuius analysi colligere liceat veritatem rei, sed est tantum signum quocum nexa est necessario veritas rei. Hinc ratiocinio quidem uti potes ut ex miraculo demonstres aliquid esse verum; quia tamen certitudo conclusionis ex cognita auctoritate Dei testantis pendet, ideo affirmas conclusionem quia inniteris auctoritati Dei; actus autem quo aliquid affirmas auctoritati alicui innixus est fides. Quocirca intelligis conciliari simul evidentiam et fidem de eadem re, cum evidentia est credibilitatis: est enim evidens illud esse verum quod Deus testatur; quia vero id tenemus propter testimonium Dei, ideo credimus. Nolumus autem dicere quod hoc tantum credi possit, et non illud quoque quod est intrinsece evidens, sed de hac re iam locuti sumus in Cr. Th. XXV.

Porro convenientia huius divini testimonii manifesta est, si Deus velit veritates aliquas quas humana ratio per se invenire nequit humano generi per aliquos homines veluti suos legatos credendas proponere; modumque certum ipsum colendi positiva lege per eosdem legatos in universo orbe statuere. Verum huius rei tractatio proprie spectat ad philosophos morales, quos confer: nobis satis sit suppeditasse principia.

Nota. Speciale miraculum est *prophetia* quae est praenunciatio certa ab homine facta eventus futuri occulti. Possibile esse prophetiam liquet si et Deus futura omnia certo sciat, valeatque suam cognitionem homini communicare: porro utrumque iam probavimus. Prophetia vero adhiberi potest tanquam signum divinum non secus ac miraculum generatim, quia et ipsa miraculum quoddam est.